

*Non interrupto quem consequerentur euntem,  
Et nati & natae & neptes seriq; nepotes.*

*Quanta Dei bonitas, quàm felix nomen Adami!*

- » *Sed tritum & verum est, Malus est Satan, atq; repertor*  
» *Cunctorum scelerum, fraudisq; Magister avita.*  
*Ille creatorem spernens, ingratus ut hospes*
32. *Scandere tentarat solum Deitatis, honorem,  
Soli concessum Patri rapere ausus, ob istud  
Flagitium tulerat meritas à Numine pœnas,  
Ad Phlegethontéas tenebras damnatus & ignem.  
Insuper horribili factorum ex lege videbat  
Haut ullam venia sibi spem superesse futura:  
Luridus hinc irâ atq; odium flagrabat iniquis,  
Noctè dieq; malum gestans in pectore virus,*
40. *Vindictam volvens, ac si non fortè daretur  
Possè nocere Deo (quis enim nocuisse Supremò,  
Quaso, potest?) possit primum seducere Adamum,  
Atq; sequuturam cœlis avertere prolem.  
Hortus erat, campis nomen Dulcissimum Edénis,  
Arboribus fœtis densus, pomisq; repletus,  
Quadrifido irriguus fluvio, non Thessala tempe  
Pratulerim, non quos Babylon suspenderat hortos,*
48. *Fabula sunt horti Phœacum, & Hymettus, & Hybla:  
Duxerat huc Factor mansuro more colonum  
Primum hominem magnâ Superum comitante catervâ,  
Jugem concredens culturam nobilis horti.  
Venit & huc Satanas, squamosi at pelle colubri  
Insidiasq; dolosq; involvens, fingere cœpit  
Astuto delenificas imitamine voces:*
56. *Quid rear, invidiæne prius curæve paternæ  
Signa dedit vobis Vester, mea Virgo, creator?  
Ne, jubeo, mediæne contrectaveris umquam*

Aut